



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Replica Ioan. Eckii Adversvs Scripta secunda Buceri
apostatæ super actis Ratisponæ**

Eck, Johannes

Ingolstadii, 1543

VD16 E 416

Ridendi porci Lutherani a Bucero commendati

urn:nbn:de:hbz:466:1-30106

quæ spiritus sunt sequuntur. Manifesta sunt opera carnis à fructibus doctrinæ & vitæ discernatur. Quis hic non effuse rideat Epicureos porcos, carnalitate, luxu, crapula absorptos, omnibus bonis operibus vacuos? qui Curios simulant & Bachanalia & Lupercalia viuunt: plus turpissimi sacerdotes Cybeles, & Priapi cum regina Maacha, quàm Christi amatoris castitatis & virginitatis. At vitam eorum Epicureorum supra post Erasimum depinximus. Deo gloria, quod tot sunt adhuc integerrimi & honestissimi prælati, tot sacerdotes optimæ & inculpatae vitæ, tot monachi deuotissimi, tot vestales castissimæ. Nam hac liminosa hæresi repurgata sunt zizania, paleæ & vitia ex area domini: mundata sunt monasteria, clerus bene probatus prauis & carnalibus ad Lutherismum se conferentibus, vt ventri & inguini ac hortorum deo seruiant. Ideo desinat apostata illustri domino à Prato persuadere, plures ex catholicis adhæsuros Lutheranis vt fratribus. Absit, iam paleæ glumo à tritico separatae sunt. Si qui autem adhuc, exeant à nobis ad eos, dicamus de eis cum Ioanne, 1. Ioan. 8 quia non erant ex nobis, velut Melanchthoni Vuormaciæ dixi.

Fatetur Bueer denuo, in eorum agro enasci plurimum zizaniarum, nec paucos pisces putres eorum rete attrahit (ego dico solos putres) nec desunt in nostro grege foetidi hirci, sed plures esse adhuc synceros inter eos. At inspicite omnes Lutheristas. Euangelium nec in operibus, nec in pectore habent, sed in ore duntaxat, Maulchristen, cum nulla euangelica opera exhibeant.

Zizania
in Lutherismo.

Adhuc quærit conciliabulum, vt ecclesia malignantium conueniat, siue ciuili (vt laicos Concilio immisceat) siue ecclesiastico munere fungantur. Et hanc sanctam Synodum appellat, ex apostaticis s. viris, votifragis monachis, & periuris sacerdotibus collectam. Veniet ne Christus, veniet ne spiritus

Fol. 24
Concilia
bulum,